



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Anno M.D.LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Excurret ad
rusticos.*

Cœnobia Virginum, vt confessarium, vt cohortatorem, vt magistrum pietatis impetrarent: duobusq; præcipuis concedendus certum in tempore fuit: & tamen amplissimæ illi caritati, quam uis tot referta laboribus, angusta Vienna erat. Ad pagos etiam, & agros extulit sese. Per natalitias ferias frequentem in pagum, miseratus mortalium solitudinem longam iam diem Pastore carētium abiit. Ingentem reperit in promptu messem. Hoc ille auidius expedire falcem. Visere ægrotos, & consolari, cogere in sacram ædem puerilem manum, & instituere; quotidiana concione agrestibus instituendis, & adhortandis insistere, promptas omni tempore aures offerre peccata sua prominentibus, nihil non moliri, quod & in præsens, & in posterum utile animis, & religioni foret. Fuit nonagenarius senex, qui instar Simeonis gestire factam sibi tandem copiam talis viri, de cuius manu diuino Christi corpore pasceretur. Hac quasi velitatione tentato campo, caritatisque stimulato impetu Christi bellator in aciem iustam per magni ieiunij tempus processit. Plurima erant Austriae loca destituta sacerdotibus. Quippe supra trecentas Parœcias omnino viduas numerabant.

1553.

bant. Hinc maxima mali labes in eas inuasit oras, dum per Pastorum inopiam impunè lupi graffantur. Inuitauit Ferdinandus Patres per literas ^{Austriam} Græcio datas in eunte anno 1553. vt orbos greges ^{peragrat E-} ^{uangelizans.} vellent inuisere, sacramentorumque, & verbi diuini pabulo recreare. Canisius eam sibi maximè prouinciam depoposcit, quod vnus omnium optimè linguam gentium nossèt. Hanc prætexbat causam ærumnarum cupidini. Egressus igitur per obsepta gelu; & altis obruta niuibus vadebat loca, circumferens diuina plebi solatia. Mirabantur homines tantam caritatem, atque patientiam, & animum inuictum, quo non modò iniurias temporum, sed barbaram sæpe hæreticorum, aliorumque petulantiam volens, libensque exhauriebat. Maximam sacri eiunij partem in pascendis agrestium animis studiose, fortiterque consumpsit, multo plus consumpturus, nisi urbani labores Viennam retraherent.

Interim Viennensis Episcopus, Fridericus ^{Fit regius} ^{Concionator.} Nausea, idemque regius concionator è vita decedit: & Canisio ille ad ceteros labor accedit, vt ab ipso Rege Ferdinando à concionibus assumatur. Altero Pentecostes die dicendi fecit initium. Non

K

potuit